



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Titulus cruci Christi affixus quant sit virtutis, quomodo eum honoremus
illoq[ue] nosipsos armemus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

vidissimī cūm omnia facerent, hoc est, cūm procurarent omnia, per Pilatum tamen fieri cuncta voluerunt, quo ipsi innocentes crederentur. Scripsit itaq; Pilatus titulum quidem, non tamen quomodo voluissent Iudæi. Hic est autem titulus Christo in cruce superpositus: *Iesus Nazarenus, rex Iudæorum*. Quē Iudæi legentes, ad sui confusionem hunc scriptum mox intelligunt. Instant igitur apud Pilatum, vt tituli mutet inscriptionem. Recusat hoc Pilatus dicens: *Quod scripsi, scripsi*. Non mutabo, sed ratum fixumq; manebit quod scripsi. Nolebant Iudæi Christum vocari regem Iudæorum. Tantum enim honoris inuidi illi canes Christo nequaquam fauebant, nec sibi quoq; ignorabant probrosū, quod eorum rex, & propterea quod eorum rex foret, esset crucifixus. Idēd dicunt Pilato: *Noli scribere Rex Iudæorum*, id est, noli eum vocare regem Iudæorum: sed scribe quod propterea sit crucifixus, quia ipse temeraria ambitione sese iactauerit regem Iudæorum: atq; idēd cūm sit rex, tanquam tyrannus regniq; inuasor, crucifixus sit. Pilatus nesciens, nec intelligens, verum scripserat: quare Deo sic in corde ipsius ordinante, tituli scriptionem mutare noluit. Prouidētia igitur diuina, hic titulus (cuiusmodi Christus dignus foret, & in quo nobis esset gloriandum) vt Christo inscriberetur, ordinatum est, vnde agnoscere cogentur Iudæi, vt ne occidendo quidem Christum, facere possent, quin eorum rex, qui in lege & prophetis fuerat illis promissus, & esset & scriberetur.

Titulū Christi prouidētia diuina ordinatum fuisse.

Titulus cruci Christi affixus quanta sit virtutis, quomodo eum honoramus, illoq; nos ipsos ar memus?

Docemur quotidie, & mane & vesperi, hoc titulo nos signare in fronte. Sub hoc enim titulo Christus vicit, & nos ipsius virtute sub eodē diabolum vincimus. Est etiam reuelatione traditum diuina, magnā huic inesse titulo, si legatur, virtutem diuinam: multumq; ipsum diaboli frangere depellereq; virtutem, vbicunq; homo se Christo deuotus hoc consignauerit. Debemus enim omnes qui Christo assignati sumus milites, sub eius vexillo atq; titulo contra inimicum pugnare, si non ociose atq; inaniter pugnare voluerimus. Iterum docemur hic ex eo quod adēd studiose excutere tentauerint Iudæi Christi iugum, eundemq; negare voluerint Christum esse atq; Messiam, nihil tamen obtinere (quantumlibet multa propterea machinarentur) potuerunt, quin vellent etiam aut nollent, à gentibus Dominus Iesus & diceretur & scriberetur tum Christus, tum rex Iudæorum. Hinc inquam discimus, quantumuis impugnetur veritas, tamen ad tempus videatur oppressa, nunquam tamen eiusdem lux adēd obscuratur, quin tempore opportuno refulgeat, pręualeat, omnibusq; nota fiat. Tertio discē, quomodo plerunq; contingit, vt hi qui alijs ignominiam machinantur, non illis quibus ignominiam volunt, sed eandem sibi ipsi parant. Hoc modo Iudæi qui Christum ex superscriptione tituli conspurcare voluerunt, Deo in corde Pilati operante, non Christum, sed turpissimā semetipsos ignominia affecerunt. Omnibus enim legentibus inde manifesta fiebat Iudæorum crudelitas, qui in regem suum insurgentes eundem interemissent.

Titulo Christi quomodo signari debeamus eiusq; virtus quanta.

Veritas quomodo semp pręualeat.